

quicquam in publicum commodum proficisci posse putabam: quia tamen hic meus labor pluribus præstantissimis Viris ac studiosis placuit, nec peculiari utilitate ac commoditate carere dicebatur si cum aliis etiam communicatus, in vulgus emitteretur, eò facilius istorum in monitione ac quievi, quò minùs refragantem inveni Chalcographum, ut aliàs ingeniosissimum, ita ad promovenda ista studia, suæque artis operanda promptissimum.

Animum insuper auxit, quòd ab aliis etiam doctioribus multò & hoc ingenere exercitioribus, simili in negotio, eundem ad finem, diversis tamen aliquo modo instrumentis laboratum esse audirem. Nam cum ante aliquot menses in ipso essem delineationis opere, & antè laudatum Dn. Berneggerum de quibusdam consulerem, monstravit mihi & suppeditavit noviter inventum Rev. & Cl. Viri, Dn. Wilhelmi Schickardi, Sacr. Lit. apud Tubing. Professoris celeberrimi Astrosopium, sibi ab Autore transmissum: in quo præter accuratam istius descriptionem, & elegantem de stellis dissertationem, novam quoque exopta vocabulorum Arabicorum enormiter

cor-